

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
THEORETICO PRACTICA

*De*  
DILATIONIBUS  
MORATORIIS NE-  
CESSARIIS,

*vulgò*  
*Quinquennell, Anstands-Brieffen &c.*  
*ex l. f. l. q. bon. ced. poss. & Ord. Polit. de anno 1548. tit.*  
*Von verdorbenen Kauffleuten &c. conscripta.*

*Q V A M*  
PRÆSIDE DIVINO NUMINE  
EX DECRETO ET AUTHORITY  
NOBILISSIMÆ & AMPLISSIMÆ  
FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ILLUSTRIS & CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE MARBURGENSI  
P R O

*Summis in UTROQUE JURE HONORIBUS, Privilegiis ac*  
*immunitatibus DOCTORALIBUS ritè capessendis,*  
Publicæ ac solenni Excellentissimorum Dn. PROFESSORUM Cen-  
suræ submittit

JOHANNES CHRISTIANUS  
FRONSBERG/Allend. ad Salinas Hassiacas,

Diss. jur. civ.

*In Auditorio Majori ad Lanum,*

Ad diem XXII. August. Anno MDCCII.

Marburgi Typ. hæred. Joh. Jodoc. Kursneri, Acad. Typ.



Serenissimi PRINCIPIS

ac Domini,

D O M I N I

CAROLID.G.

HASSIÆ LANDGRAVII,  
PRINCIPIS HERSFELDIAE, COMITIS

CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIE-

GENHAINÆ, NIDDÆ ET

SCHAUMBURGI;

*Domini sui Clementissimi,*

TAM CONSILII SECRETIORIS, QUAM DICA-  
STERII DOMINO CANCELLARIO, PROCAN-  
CELLARIO, CÆTERISQUE CONSILIARIIS  
OMNIBUS ET SINGULIS, DIGNISSIMIS  
ET MERITISSIMIS.

PERILLVSTRIDN. BARONI, ut & GENEROSISSIMIS,  
PRÆSTRENTIS ac NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS.

*Domini suis Gratosissimis, ac Honoratissimis, Macenatibus ac Fav-*  
*oribus ac cineres usque devote venerandis, colendis*

Cum omnigenæ prosperitatis voto hoc, quicquid  
est, speciminis academici inauguralis humili-  
mente manue in commendationem sui in-  
scribit & offert

*Devotissimus & humilimus*  
*eorum cliens*

JOH. CHRISTIANUS FROHN/

Allend. ad salin. Hass.





A. D. O. M.

PRÆFATIO.



Exennium nunc est,  
cum studio juridico fi-  
nem imponere, ceber-  
rimæ huic Universitati  
Valedicere, dilectissimo-  
que parente in florentissi-  
ma ætate crudeli mortis

falce demesso, ac fatorum necessitate sic  
urgente, lares repetere jussus, Dissertationem  
DE PACTO DE NON PE-  
TENDO defendendam suscipiens, post-  
que primum examen ad Specimina cætera  
præstanda admissus, pro consequendis in  
utroque jure honoribus, inauguraliter di-  
sputare firmiter mihi proponerem; sed tunc

A

tempo-



tēporis suadebatur à cognatis, si theoriæ per aliquot annos praxin superadderem, consultius fore, quod etiam secutus sum; per varios autem labores & casus animus fere mutatus, certè diu longeq; in dubio hæsit, an non ista cum Nob. Facult. Jurid. concessa, quando luberet pro summis in utroque jure promovendi honoribus disputandi & promovendi licentia contentus, nec iniquam improborum & malevolorum censuram experturus esse velim. At quando ad finem dilationum moratoriarum voluntariarum, quod alia vice, data occasione D. V. de Dilat. mor. necessariis aliquid dicere, animus resideat, mentionis factæ recordarer, promissisque starem, æquius reputavi, quam improborum censuram extimescere, hanc ideo vilipendens, quod probum à malevola improbi lingua benignè extolli quasi miraculum sit, & alter alteri propter affectus animi contrarios è diametro contradicat, non nili virorum honestorum benevolentiam affectans; Et hæc est ratio, quare de dilationibus moratoriis necessariis, de quarum justitia omni Jure valdè disputatur, speciminis loco

loco



loco paucis dicere constituerim, hâc fiducia, quòd si hanc materiam non satis accurate tractavero, B. L. hoc mihi concessurus sit, cum & J. C. t. aliâs accuratissimi, ob negotii gravitatem facilè impingant, nec uti & ubi decet, in eâ hanc materiã tractent. Accipe igitur A. L. quæ crassa minerva conscripsi, animo benigno, si quid erit, quod voto tuo satisfacit, mihi gratulor, sin minus, benevolentiaæ tuæ me commendans veniam peto, DEUM T. O. M. humilime rogitans, ut conatus meos ad exoptatum finem perducatur.

§. I.

**P**er dilationes autem moratorias hic Etymolog. intelligimus præscriptiones moratorias ita dictas, quia remoram injiciunt exactiõni creditorum, eamque retardant, impediunt & differunt, *Donell. lib. 22. comm. jur. civ. cap. 9. in fin. pr.* variis autem à J. C. t. solent exprimi neminibus, (1.) Literæ salvi conductus, *Menoch. de arbit. jud. cas. 203. n. 14. & seqq. Trentacinq. lib. 3. var. resol. tit. de solut, resol. 1.* Voce nimirum specialissimè sumpta, nam alii sunt salvi conductus, qui tum in judiciis delinquentibus, vulgo *das sichere Geleit von und zum rechten/und vor unrechter Gewalt* / tum in publicis viis & itineribus ex jure publico præstari solent. (2.) appellantur quinquennales induciæ *l. f. C. qui bon. ced. poss. §. temporales 10. inst. de except.* per synechdochen speciei, puta

A 2 quin-



quinquennium pro quovis longiori, ut biennio, triennio  
 &c. (3.) præscriptio seu exceptio moratoria l. 2. C. de prec.  
*imp. off. Tess. decis. 186. n. 4.* [4.] Literæ Gratia Joh. Bapt.  
*Asin. tr. de execut. § 6. cap. 69. cum seqq.* (5.) Exceptio mer-  
 catoria *Schneid. in §. jus autem civile 2. n. 11. in f. de I. N.*  
*G. & C. (6.) Literæ Securitatis, Surd. decis. 301. & 307.* (7.)  
 Literæ seu dilationes annales, biennales, triennales, quin-  
 quennales, pro ratione & quantitate temporis concessi,  
*Nicol. de Passer. de script. priv. lib. 3. rubr. de annal. & quin-*  
*quen. dilat. p. 280.* (8.) Literæ respirationis *A. Fab. 1. C. 9.*  
*defn. f. n. 11. Rudinger sing. observ. cent. 1. obs. 27.* (9.) à  
 Græcis ὑπερμυσία *Hering de fidejuss. c. 5. n. 145.* (10.) à Gallis  
 Treugæ, ob fidem interpositam quasi confidentiæ, item  
 quinquennell & Lettres de Respit, nonnunquam simplici-  
 ter Respit, vel cum adjuncto respit de cinquans. *Ruding.*  
*loc. cit. (11.) à nostratibus quinquennales, anstands-*  
*Brieffe/ordin. Polit. de anno 1548. tit. von verdorbenen*  
*Kauffleuten/ §. und nach dem sich zu zeiten. & de anno*  
*1577. tit. 23. §. wann auch solche Gail. 2. obs. 46. n. 14.*  
*Wehner obs. pract. Verb. anstands. Brieffe. Hering. D. c. 5.*  
*n. 101. Hinc debitores dicuntur: Eysern werden/ Hering*  
*cit. loc. n. 102.*

§. 2.

Definitio,

**N**obis itaq; dilatio moratoria necessaria nihil aliud Est,  
 quam PRIVILEGIUM à PRINCIPE DEBITORI  
 OBÆRATO AD EJUS INSTANTIAM PER RE-  
 SCRIPTUM, PRÆCEDENTE CAUSÆ COGNI-  
 TIONE, IN CERTUM TEMPUS CONCESSUM,  
 UT INTEREA à CREDITORUM INTERPELLA-  
 TIONIBUS SECURUS, MEDIA IIS SOLVENDI  
 EXPEDITIORA EO FACILIUS EXCOGITARE  
 ET



ET PARARE POSSIT. Unde patet, quod per dilati-  
ones moratorias non intelligamus Rescripta, quibus illa  
conceduntur, sed potius eorum effectum, quo debitores  
per tempus liberantur à debiti solutione, & creditorum fla-  
gitatibus & incurvationibus. Quam definitionem  
non solum ratione causæ & effectus, verum etiam objecti  
atque subjecti sumus examinaturi, ipsorum quoque Rescri-  
ptorum requisita simul perpendentes, de quo ex professo  
agit *Wih. Anth. de Freundeberg. tit. 6. concl. 11. & 12. n. 14.*  
*& seqq. Limn. lib. 4. c. 8. n. 329.*

§. 3.

Dilationis autem moratoriæ causa efficiens alia est remo- Caus. effic.  
ta, alia proxima, illa sunt rescripta: hæc est jus remota &  
civile, canonicum, æquitas naturalis & Christiana charitas. Ju- proxima.  
re civili nititur *l. Quoties 2. ibiq. D D. l. universa 4. C. de prec.*  
*Imp. offer. l. f. C. qui bon. ced. poss. ordin. Polit. de anno*  
*1548. tit. von verdorbenen Rauffleuten | §. und nach*  
*dem sie. Item de anno 1577. tit. 23. §. wann auch solche;*  
Jure canonico est generalis rextus *c. Rescripta 15. caus. 23. q. 2.*  
Æquitati naturali & charitati Christianæ convenientissi-  
mum esse testantur *Tessaur. decis. 186. n. 3. Rauchar. p. 1. q.*  
*15. n. 24. & p. 2. q. 10. n. 68. Scult. quest. pract. 30. n. 2. neque*  
*grave dispendium creditoribus affert, arg. l. Deberi 6. ibiq.*  
*Part. Bald. C. de fideic. libert. l. Si debitori 21. ff. de jud.*  
*Coler de proc. exec. p. 1. c. 4. n. 14. Thoming cons. 23. quod*  
*enim differtur, non aufertur, Vernacule: Lang gebor-*  
*get | ist nicht geschendet. l. 39. pr. ff. de jud. Hering. de*  
*fidej. c. 10. n. 390. Sed tantum jus eorum prorogatur. An-*  
*ton. de Petra in tr. de lur. quas. per princ. non toll. c. 32. &*  
*hoc comprobatur etiam jure divino, arg. tex. Matth.*  
*18. v. 32. 33. Levit. 25. v. 35. Salvum enim manet jus credi-*

A 3

ti, ut



ti, ut & interim impeditur currere præscriptio, *l. ult. in f. C. qui bon. ced. poss.* atque usuræ currunt, *A. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 9. def. 8. Trentac. lib. 3. Var. resol. tit. de solut. resol. 1. n. 26.*

§. 4.

**C**irca causam efficientem remotam notandum, quod regulariter has inducias nemo indulgere possit, præter summum Principem, unde sequitur, inferiorem magistratum dilationes quinquennales concedere non posse, adeo, ut si ab inferiore dentur, ipso jure sint nullæ, *vid. Decis. Neap. 38. n. 7.* si scil. concessæ sint ex gratia, quæ vero dantur solvendi dilationes justitiæ, eas quivis judex ratione officii concedere potest, *Trentac. var. resolut. lib. 3. tit. de solut. resolut. 1. n. 3. 4. per l. si debitori 21. ff. de jud. l. 45. §. 10. ff. de jur. Fisc. Tessaure. decis. 186. in fin. Hillig. 22. Donell. enucl. lib. 9. cap. 9. in f. Reservatis autem summi Principis hæc concessio literarum quinquennialium annumeratur, in l. 2. ibi. Rescripto, l. 4. C. de prec. imp. offer. l. f. C. qui bon. ced. poss. l. in fraudem. 45. §. 10. ff. de jur. fisc. Ord. Polit. gemin. de anno 1548. & 1577. tit. von verdorbenen Kauffleuten §. und nachdem & wann auch. ibi. So mey- nen wir hiermit und wollen ernstlich / daß ihnen solche moratoria und quinquennial hinfüro nicht mehr gegeben werden sollen / wir unsere nachkommen / Rö- mische Kayser oder König re. Ubi Imperator hoc jus sibi reservavit; *Add. R. 1. de anno 1654. §. dieser unser bis- her 175. A. Fab. 1. C. tit. 9. def. 17. Gail. lib. 2. obs. 46. n. 14. Wehner. obs. pract. NB. Anstandts Brieffe. Tessaure. de- cis. 186. n. 8. 9.**

§. 5.

An Vicarius  
eas concede  
re possit,

**H**inc quæritur, An vacante imperio vicariis dilationes dare



dare liceat? quod affirmamus (1.) quia gratiosa, quæ imperio damnum non inferunt, nec alienationem important, vicariis licent. *Aur. Bull. tit. V. verb. Ein Verweser und Pfleger des Reichs &c. & verb. alle Veräußerung.* (2.) quia inter ea, quæ vicariis conceduntur, connumeratur. *d. Aur. Bull. tit. V. verb. ausgenommen der Fürsten Fahulehn / dann derselben Lehn. Vergleichniß behalten wir einem Kayser und Römischen König &c.* quæ verba arguunt, in reliquis omnibus vicariorum eandem esse potestatem, quæ sit Imperatoris, extra casus expressè reservatos. Exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. *Everhard. loc. de except. in pr. Gail. de pignor. obs. 14. n. 12. Consil. Marbur. 28. n. 78. vol. 2. (3.) ob regulam generalem: Vicarius omnia facere potest, quæ is, cuius vices gerit l. 1. C. de off. vicar. l. 1. C. de off. ej. qui vic. alic. Surd. decis. 28. n. 1. (4.) quia hæc opinio recenti præjudicio confirmata est, nam testantur Buxtorff. *diss. ad A. B. cap. 5. 6. concl. 73. & Schüz. disp. inaug. de S. Rom. Imp. Vicariis &c. concl. 12. sub alleg. tit. C. tempore interregni post obitum Rudolphi anno 1612. ejusmodi dilationes concessas. Dissent. DD. plerique in c. fin. ibi canonist. de off. vic. n. 6. Felin. in c. quæ in eccles. n. 32.**

§. 6.

**H**Od'è vero ad status Imperii immediatos, ut Electores, Duces, Civitates &c. quoad ditiones suas hoc jus indulgendi quinquennales productum est, ij enim jura Imperialia in iuis territoriis habent & exercent, *Wehn. obs. pract. Wb. Anstandtsbrieffe. Matth. Stephan. de jurid. p. 1. c. 7. n. 389. tantumque in suis ditionibus possunt, quantum Imperator in Imperio. Farinac. pract. rim. de inquis. quest.*

An status imper. concedere possit.



*quest. 6. n. 7. Cacheran. decis. 88. n. 17. Wesenb. cons. 27. n. 28. & citati à Bacchov. 1. ad Treutl. 23. §. 1. Lit. C. Quod vero ultra creditores eidem Principi, Duci &c. subiectos non est extendendum: Sunt enim principium jurisdictionis pro modo territorii limitatæ, nec extendi possunt ad non subditos, arg. l. f. ff. de jurisd. Myns. Resp. 19. n. 3. decad. 2. Hillig. p. 2. Don. enucl. lib. 22. sub alleg. tit. G.*

§. 7.

Non nisi ad  
petitionem  
conced.

**P**rinceps vero non solet has inducias motu proprio offerre, sed non nisi ad debitoris instructionem & petitionem concedit: Omnium enim rescriptorum commune est, ut non censeantur à Principe motu proprio, nisi id expressè exprimat, sed ad instantiam ejus, pro quo disponent, promanasse. *Myns. decad. 2. Resp. 19. n. 12. & 43. Gylm. Ror. in Cam. jud. lit. 2. decis. 5. n. 22. 29. & 42. Oldendorp. clas. 1. act. 1. inf.* Undè & dilationes moratoriae semper præsumuntur ad petitionem debitoris concessæ *l. f. pr. C. qui bon. ced. poss.* & non motu proprio, nisi rescripto expressè insertum. Et debet illa petitio continere omnia illa, quæ in causæ cognitionem venire, & Principem sufficienter de justitia petitionis informare possunt, igitur fusius doceri & exprimi debet, (1.) quod non sua culpa & dolo, sed fortunæ ludibrio, puta incendio, naufragio &c. ad incitas fere redactus sit, h. e. *Dasz er unversehener weise in Schmäherung seiner Nahrung gewesen / bevor ab / weilten er von vielen andern / mit welchen er gehandelt / betrüglich aufgesetzt worden.* *Ordin. Polit. de annis 1548. & 1577. tit. von verdorbenen Kaufl. §. f. Rebuff. d. tit. d. l. art. 1. gl. 1. n. 12. 47. & 51. A. Fab. 1. C. 9. def.*

Requisita li-  
belli suppli-  
cis.



*def. 20. n. 20.* Et quidem (2.) quod illud post debitum contractum à decennio proximo citra culpam contigerit, *Rebuff. d. l. n. 64.* Neque in debitis recentibus & nuper contractis hæc dilatio datur. *Menoch. de arb. jud. cons. 2 n. n. 24.* quia secus in fraudem apertam creditorum à debitorum sciente, se non solvendo, & nihilominus contrahente, hoc beneficium impetrari videretur, atque adeò materia daretur delinquendi. *Rebuff. d. l. n. 30. Menoch. d. l. A. Fab. d. l. n. 28.* [3.] Exponenda est difficultas & fere impossibilitas solvendi, quod scilicet tale fuerit rei familiaris naufragium, ut hoc tempore ob quotidianas creditorum interpellationes ad extremas angustias sit redactus, nisi temporis aliquod spacium sibi indulgeatur, quo de modis solvendi sollicitus esse possit, h. e. **Es seye ihm aber ohnmüßlich / zudem es ihm zu ganz verderblichen Schaden und Nachtheil gereiche die Schulden schleunig auff einmahl abzutragen.** (4.) Quod spatio ampliori concessio, ut interim suos debitores exigere possit, speret se satisfacturum creditoribus, h. e. **daß er an anstehenden Schulden/welche mit Handschriften und seinen Registern erweißlich / so viel habe / daß er seine creditores wohl zu befriedigen gedentke.** *Vid. Diploma apud Limn. l. 7. c. 19. n. 6. quo civitati Goslariensi à Ferd. II. quinquennales concessa,* ibi: **des unterthänigsten erbietens &c.** (5.) Exprimenda debiti qualitas, ut cognosci possit, an ejusmodi sit, quæ inducias recipiat, & de quo Princeps dispensare possit. *Menoch. de arb. jud. cas. 203. n. 14. & seq. Trentacinq. Var. resol. tit. de solut. resol. 1. n. 14. & seqq.* (6.) Quoque allegandum, an lis super debito mota, nec ne? *Menoch. cit. loc. n. 29.* (7.) Etiam prioris diplomatis, si quod pro aliis

B debitis



debitis ante obtinuit, mentio facienda est, ceteroquin posterius Rescriptum subreptitium censetur. *Menoch. cit. loc. n. 28. Trentacinq. d. l. n. 19. A. Fab. 1. C. 9. def. 20. n. 18.* Denique niti debet hæc narratio veritate, secus nullius erit momenti. *Ordin. Polit. de annis 1548. & 1577. tit. von verdorbenen Kauffleuten / §. fin. ibi. wo aber die re. propterea utile & necessarium est, ut debitor supplicaturus testimonium à magistratu suo de conditione sua secum ferat, d. ord. Polit. §. So meinen wir hiermit / etc.*

§. 8.

Officium  
concedentis.

**P**Etitione cum causarum allegatione facta, & circumstantiarum persona, tum creditorum ratione habita, cognoscit & deliberat, utrum hæc concedenda dilatio nec ne? Nam cum non nisi commiserationis & humanitatis ergo contra stricti juris rationem id indaciarum moratoriarum sit inventum asylum, non leviter prospiciendum, ne isti humanitatis fontes omnibus indistinctè pateant, ne vero è contrario præcludantur omnibus, & summatim abusus hujus beneficii, ut in omnibus aliis negotiis, maxime vitandus, quare diligenter examinandum est (1.) ratione debitoris, an sit ejus conditionis, ut dignus hoc auxilio? an verò suo facto sibi ademerit, quod scilicet vel arte impetra- verit hoc beneficium, vel jurato renunciaverit. (2.) Ex parte creditorum, an omnes moram ferre possint? An jus hac dilatione ijs præcludatur? an causam petendi privilegiatam habeant. &c. nec ne? Advertendum autem, istam hanc causæ cognitionem summarie, vel de plano posthabita longiore ordinarii judicii solennitate & strepitu perficiendam, humanitatis id exigente ratione, ut DD. uno ore concludunt.

§. 9.



Causæ cognitione itaque habita princeps dilaciones lat- Duratio seu  
 gitur pro ratione circumstantiarum ad annum, bienni- tempus.  
 um, triennium, plus minusve temporis, ita tamen, ut juxta  
 receptissimã DD. sententiam quinquennium non exceda-  
 tur; Princeps enim ex circumstantiis arbitrabitur, quantum  
 temporis debitori obærato pro ratione conditionis sit in-  
 dulgendum, nam quod tempus jure definitum non est, ju-  
 dicantis relinquitur arbitrio. *l. 1. §. 2. ff. de iure delib. Me-  
 noch. de arb. jud. cas. 83. n. 6. 7.* Quinquennium autem fe-  
 re frequentatur, unde quinquennialium hæ dilaciones for-  
 titæ sunt nomen. *vid. ordin. Polit. de anno 1548. tit. von  
 verdorbenen Rauffleuten / & de anno 1577. §. wann auch  
 solche etc. ibi: und wollen / daß etc. l. fin. ibi: quinquen-  
 nale spatium C. qui bon. ced. poss. VVehner obs. pract. Verb.  
 anstands Brieffe. quin non nisi ex urgentissimis causis  
 ultra quinquennium concedendum DD. contendunt.  
 Trentacinq. 3. Var. resolut. tit. de solut. resolut. 1. n. 2. ita ut  
 si concessum à Principe fuerit, plane inutile illud fore, &  
 ne quidem in quinquennium citra assensum majoris partis  
 creditorum sustinendum, concludunt DD. comm. & inter  
 illos A. Fab. 1. C. 9. def. 2. & 17. Hering. de fidejuss. C. 5. n.  
 135. Castrens. ad l. 2. C. de prec. Imp. offer. Carol. de Grass. de  
 except. c. 32. n. 96. Möll. 4. Semestr. c. 6. n. 6. per l. fin. C. qui  
 bon. ced. poss. Ord. polit. de anno 1548. & 1577 & cum illis  
 Besold. Thes. pr. verb. Quinquennial. anstands brieffe.  
 Verum cum principis potestas non ita sit restringenda, quo  
 minus ex evidentibus causis & rationibus pro re nata am-  
 plius tempus quinquennio indulgere possit, maxime cum  
 creditori nõ noceat in quoqm. præter dilationē, debitor au-  
 tem profit, potiùs nobis videtur contrarium cum Hilling.*



22 *Don. Enucl. 9. Z.* Ex quo tempore verò moratoria legitime impetrata currant, ambigitur, illudq; diem dimissi diplomatis seu (ut vulgò) datæ statuunt, idq; ex generalitate rationis, quia in privilegiis præsertim ad gratiam concessis dati tempus respicitur, *per c. 7. X. de Rescript.* Quod tamen ex culpa adversarij vel alia iustæ excusationis causa impedito non currit: regula enim est *Tempus legali necessitate impedito non currere arg. l. 40. pr. ff. de condit. & demonstr. l. 39. ff. de excus. ius. pastoralis vers. si notorium X. d. Rejud.*

§. 10.

**Objectū cui** **C**ui vero moratoria concedi, & quis nam illa impetrare queat, dubitari posset? Et respondendum, quod non solum persona certa, sed & ficta sit ejus rei capax, adeoque nec privatæ, nec publicæ personæ, neque universitatibus, & collegiis integris sunt deneganda, ganze Gemeindef/ Stätte/ Dörffer/ Flecken und Zünffte &c. si nempe in eam inciderint egestatem, ut auxilio hoc digni sint. *l. 2. & 4. C. de prec. imp. offer. l. f. C. qui bon. ced. poss. Ord. Polit. de anno 1548. & 1577. tit. von verdorbenen Rauffleuten/* qui textus, cum de omnibus indistinctè loquantur, arguunt, de omnibus debitoribus ære alieno gravatis simpliciter intelligendos. *arg. l. de pretio 8. ff. de Publici. in rem act. l. 1. §. 1. ff. de leg. præst. l. filium ff. ad SCt. Macedi.* nec apparet diversitatis ratio, privatus enim non debet esse melioris conditionis, quam universitates. *arg. l. Servius 4. ff. quod vi. aut clam. vid. Afflict. decis. 177. ibi: Princeps concessit universitati.* Oportet autem ut tales personæ non suo vitio, sed fortunæ injuria atque iniquitate lapsæ sint, quales sunt, qui casus fortuiti, puta belli, incendii, tumultus, rapinæ, naufragii, tempestatis &c. dolo ad inopiam redacti sunt, *ord. polit. de anno 1577. tit. von verdorbenen Rauffleuten §. fin. ibid. Das sie auß unversehenen zu gestandener*

nen



nen Unfällen Leib oder Güter verdorben oder aufge-  
standen sind/ & æquitati convenit, afflicto non esse adden-  
dam afflictionem, *arg. l. Divus 14. ff. de off. pres. l. pena 9.*  
*§. fin. ff. ad. L. Pompej. de parricid.* sed paupertati faven-  
dum, cum primis quæ fortunæ ludibrio inducta est, nec ul-  
la humana potuit averti prudentia, *arg. l. 6. C. de pign. act.*  
*l. 2 §. 7. ff. de administr. rer. ad civit. pert.*

§. II.

**H**inc (1.) excluduntur ab hoc beneficio improbi deco- **Exceptiones**  
ctores & bancruptores, qui vitiose omnia sua bona  
obliguriunt, vulgo **Panckerottierer** / verdorbene **Kauff-**  
**leute** / **Leutbetrieger** / welche das ihrige verspielen / ver-  
schlemmen / verabendzehren / und sonst mit prächtigen  
Kleidungen / Kostbahnen ihrem Stand nicht zus-  
kommenden Gebäuden / oder sonst unnützlich ver-  
schwenden / qui adeo non fortunæ culpa, sed suo vitio bo-  
na temere profundendo hanc sibi calamitatem sponte ac-  
cerfiverunt, nulla commiseratione sunt digni. *l. fin. C. de*  
*aleat. l. omnes 17. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. Trentacinq. 3.*  
*var. resol. tit. de solut. resol. 2. n. 10. Boer decis. 349. n. 10.*  
Imo & severe puniendi juxta *ordin. Polit. de anno 1548. tit.*  
*23. ibi: so setzen / ordnen und wollen wir etc.* & hodie-  
nam Germaniæ consuetudinem, ubi carcere publico mit  
dem **Schultthurn** puniuntur; Ab hac tamen poena nec  
comites, nec nobiles, nec doctores aut studiosi, milites aut  
mulieres, aliæque personæ privilegiatæ, quæ sæpe suis pri-  
vilegiis confisi, fraude sua dilapidant, immunes sunt, *Coler.*  
*de Proc. exe. p. 1. cap. 6. n. 134.* ubi præjudicium de quo-  
dam doctore refert. (2.) Excipiuntur & indigni hoc bene-  
ficio judicantur, qui debitum dolosè inficiati sunt, *vid.*  
*Tessaur. decis. 386. n. 7. Myns. 2. obs. 15. n. 8. Coler. d. proc.*

B 3

Execut.



*Execut. p. 1. c. 10. n. 197.* (3.) Qui iudicio convictus & condemnatus est, hanc dilationem frustra petit, induciæ enim moratoriæ vim sententiæ & iudicati non inhihent, *Guid. Pap. decis. 37. VVehn. obs. 4. & 20. n. 3.* (4.) Indigni habentur, qui, antè hac dilatione impetrata, creditoribus non satisfecerunt, in pecuniariis enim causis omnis dilatio, singulis causis plus semel tribui non convenit. *l. fin. ff. de fer. A. Fab. 1. C. 9. def. 1. X.* Nec (5.) is, qui huic beneficio seu simpliciter seu jurato renunciaverit, moratoriis induciis iuratur. *Coler. & Fab. cit. loc.* Dispositio enim principis generaliter loquens, non extendenda ad casum, in quo intervenit iuramentum, *vid. gloss. fin. in Auth. Sacramenta C. si adv. vend. Affl. decis. 5. n. 2. & Hilling 22. Donell. enucl. 9. lit. M. col. 2. Menoch. de arb. jud. caus. 203. n. 14. & 15. Fess. decis. 386.* Ab hoc tamen excipitur, quod si ad petitionem debitoris, mentionem iuramenti vel renunciationis facientis sint data, quo casu nihil obstat, quo minus dilationem profuturam dicamus; *Trentacinq. d. resol. 1. n. 24. A. Fab. d. l. 9. def. 20. n. 5.* Denique & (6.) notandum, quod hoc privilegium temporis, solum personæ debitoris, non etiam hæredibus ejus datum censeatur, est enim jus personæ ossibus inhærens, quia in dubio omnia privilegia & indulta personalia censeantur. *arg. c. 7. de Reg. jur. in 6. §. sed & 6. inst. de I. N. G. & C. l. 68. ff. de R. I. l. 1. §. ult. de const. Princip. l. quia 13. solut. matrim.* Nec de persona in personam, nec de loco ad locum trahi possunt, *l. Exceptiones 7. pr. ff. de Except. l. Sciendum 25. ff. de Re jud. & ita interpretanda, quo minus jus tertii læderent. arg. l. nec avus 4. C. de Emancip. lib. l. 2. §. merito 10. & §. si quis 16. ff. ne quid in loc. publ. vid. Schneidew. ad §. 1. j. de I. N. G. & C. Consil. Marp. 9. n. 50. & seq. Vol. 3. & late Mev. part. 2. decis. 1. per tot.*



**C**onceduntur autem hæc dilationes adversus omnes cre- <sup>Obiectum</sup>  
 ditores, quorum jus dilationem admitti æquitati & ra- <sup>contra quos.</sup>  
 tionem non repugnat, etiam invitos & ignorantes. *arg. l. de-*  
*bitoribus 31. ff. de re jud. l. 2. C. de prec. imp. offer. Nic. de*  
*Passer. tr. de script. privil. q. 5. lib. 3. n. 42 & seq. si sc. con-*  
*stat, jus creditorum per illas non adimi nec minui. Ita enim*  
 æquum est, adversus omnes hoc privilegium validum esse,  
 licet sint creditores cum instrumentis guarentigatis, quæ  
 ita ex usu vocantur à guardia, h. e. securitate, quam clausula  
 opposita præstat, ut debitore in solutione cessante, creditori  
 sit jus & potestas libera, ex bonis ejus sine via judiciaria sibi  
 satis faciendi, i. e. er solle befugt seyn / auch gute macht  
 und Gewalt Haben / im Fall er in Zahlung seunhafft  
 erfunden würde / sich eigenen Gefallens und Gewalt  
 in des Debitoris Güter zu immittiren / uñ darauß bezahlt  
 zu machen / cujusmodi hodie in Germania sunt frequen-  
 tissima, *vid. VVeibn. præct. obs. verb. Guarentigia. Coler.*  
*de Proc. execut. p. 1. c. 3. n. 14. & seq. Tessaer. decis. 26. Nam*  
 Principis beneficia quam plenissimè sunt interpretanda. *l. 3.*  
*ff. de const. Princip. quamvis enim hæc instrumenta para-*  
 tam habeant executionem, tantum tamen respiciunt pri-  
 vatorum jus, nec pertinent ad auctoritatem publicam. *arg.*  
*l. servo 65. §. 2. ff. ad. Sct. Trebell. Tess. decis. 186. n. 7. A. Fab.*  
*l. C. 9. def. 5. VVeibn. obs. præct. Verb. antiands. Brieffe /*  
*Hilling. 22. Donel. enuel. 9. 2. Nec è diverso contra eos*  
 rectè conceditur, quorum jus dilatione non tam differtur,  
 quam aufertur, quique ex persona vel causa seu singulari  
 privilegio, cujus respectu solutionem differri iniquum est,  
 muniti sunt; *Hilling cit. loc. M. Muller 4. Semestr. 6. n. 2.*



Contra quos  
non datur.

**N**on ergo Rescriptum validum est (1.) adversus æque  
aut magis pauperes, quàm ipse est debitor *Afflict. de-*  
*cis. 377. A. Fab. 1. C. 9. def. 20. n. 7.* qui tamen paupertate-  
tem suam docere debent, *l. 2. ff. de prob.* Quis autem pau-  
per dicatur, iudicium arbitrio relinquitur, *Menoch. arb. jud.*  
*cas. 61. Schneidevv. ad §. 1. Inst. ex quib. caus. manum. non*  
*lic. n. 12. & ad §. sed & propter 6. n. 2. 7. de Excusat. & it. V. Vehn.*  
*obs. pract. Vb. Armuty.* His ergo non nocere rescripta  
moratoria, rationis est, quia onus moræ ferre haud possunt.  
Nec [2.] adversus opifices & mercenarios, qui se suosque  
ex mercede quotidianarum operarum sustentare solent.  
*Möller. 4. semest. 6. n. 2. Matth. Steph. 1. de jurisd. c. 1. quam*  
*mercedem privilegiatam esse constat ex Levit. 19. v. 13.*  
*Deut. 24. v. 14. 15. Tob. 4. v. 15. 1. Timoth. 5. v. 18. Matth.*  
*10. v. 16.* Hinc omnium ferè locorum consuetudine o-  
mnibus aliis creditoribus præferuntur, *Köppen dec. 28. n. 13.*  
*lit. 1. & in terminis Consult. Saxon. tom. 3. p. 9. q. 101.* Mer-  
cenariorum verò & famulorum appellatione veniunt, qui  
in ædibus debitoris commorati sunt, & operas fecerunt, ut  
sunt servi, ancillæ, famuli, operarii, *Kauffgesellen / Haus-*  
*Knechte / Handwercker / Fuhrleute / Dienstbotten /*  
*Rutscher / Tagelöhner / Köche und Mägde etc.* sub opi-  
ficibus quoque veniunt, sartores, sutores, pistores, lanii, fa-  
bri, tonfores & similes ad vitam quotidianam sustentan-  
dam necessarii. Neque (3.) adversus ecclesias & pia loca  
*Menoch. de arb. jud. cas. 203. n. 20. Fab. 1. C. 9. def. 20. n. 9.*  
*Hillig. 22. Don. Enucl. 9. M.* semper enim favendum eccle-  
siæ, quæ potior est fisco. *l. 43. in. f. ff. de Relig. Oldendorp. tr.*  
*de Iur. & equit. c. 10.* Nec (4.) datur adversus fiscum aut  
principem *arg. l. 3. C. de prec. imp. offer. A. Fab. 1. C. 9. n. 17.*

28. Me-



28. Nec (5) adversus creditorem pupillū, *A. Fab. cit. loc. n. 10.* quod solent nonnulli accipere de pupillis egenis, quib<sup>9</sup> non est, unde se tēpore dilationis exhibeant, cæteroquin si aliunde vivendi media habent, magis favendum censent pauperi debitori, quam ætati. *Hillig. cit. loc. 22. Donell. enucl. 9 lit. M. Menoch. arb. jud. cas. 203. n. 23* Nec (6.) adversus eum, cui debentur alimenta *Surd. decis. 323 & tr. de aliment. tit. 8. priv. 70. Trentacinq. 3. var. resol. tit. de solut. res. 1. n. 22.* Favor enim alimentorum præponderat omni causæ, instarque piæ causæ est, *l. Mela 14. §. 1. ff. in fin. de alim. leg. Cravet. cons. 199. num. 10.* quia major videtur ejus favor, quam bonorum usibus divinis inservientium. *l. 21 §. 1. 2. C. de SS. eccles.* unde etiam dilationem non patiuntur *l. 2. ff. de feriis.* sed de plano terminanda & summariter *l. 1. §. 12. l. 5. §. 8. de agnosc. & alend. liber. Surd. d. aliment. cit. loc.* Ut & (7.) nō datur adversus illum, qui vendidit edulia & res commestiles in foro venales. *Fab. 1 C. 9. def. 11. n. 4. def. 30. n. 13. Menoch. arb. jud. cas. 203.* Nec (8.) adversus creditorem dotis *l. un. §. 1. C. de R. V. act.* cui comparatur debitum favore studiorum contractum *A. Fab. 1, C. 9. def. 20. n. 11.* Nec (9.) adversus locatorem *Auth. sed. 11m C. Depos. Gloss. in l. cum fructuarius ff. de usufr. ex ratione,* quam tradit *Fab. 1. C. 9. d. def. 20. n. 8 & tit. 12. def. 17.* Neq; (10.) adversus deponentem *arg. l. pen. pr. verb. celeberrime C. depos. l. 1. §. 22. & §. si deposuero 45. ff. eod.* non ergo audiendus est depositarius, sub colore dilationis moratoriæ restitutionem rei depositæ negans, ne quod celeritatis beneficio inventum, subjiciatur injuriis tardationis. *Surd. decis. 323. & A. Fab. cit. loc. n. 12.* Nec denique datur contra commodantem finito usu, *l. 17. §. 3. ff. commod. precario concedentem l. 1. ff. de precar. debitorem solutione tacta pignus repetentem l. si rem 9. §. omnis 3. de pigner. act.* nam domi-

C

no



no repetenti suum nullo jure negari poterit, cum iniquum sit, cum alterius detrimento locupletari. *l. 14. ff. de cond. indeb. l. cum his § si quis 22. in fin. ff. de transact. l. 28. ff. de dol. mal. l. 31. pr. ff. de hered. petit.* Quemadmodum nec illi creditores, qui post impetratam dilationem cum debitore contraxerunt, suum exigere prohibentur. *arg. l. Aurelius 28. §. Titius 2. ff. de lib. leg. Clem. fin. de Rescript.* Siquidem privilegia accipiuntur de eo, de quo tempore concessionis fuit cogitatum *Coler. de proc. execut. p. 1. c. 4. n. 14. A. Fab. 1. C. 9. def. 16. & 20. n. 2 Hillig. 22. Don. Enucl. 9. L. in fin. & in genere de hisce exceptionibus. add. Besold. Thes. pract. Verb. Quinquennial. oder aufstandsbrieffe. cum ibi citat. auth.*

§. 14.

Effectus ratione debitoris,

**V**Tilitas verò vel beneficium Rescripti moratorii consistit in eo, ut debitor ad tempus indultum à creditorum exactioibus securus, rationes & media finito tempore præstituto in solidum satisfaciendi invenire possit, *arg. l. in fraudem 45. §. fiscalibus 10. ff. de jure fisc. b. e.* ut sub induciis à debitoribus pecuniam exigere, vel alia ratione respirare in sua substantia possit, meditando solvendi rationes *Vid. Bacchov. 2. ad Tr. 24. 4. E. §. Quinq. dilat. verb. facit.*

An etiam si de jussoribus proficit?

Et proficit non tantum reus principalibus, sed etiam fidejussoribus, tam iis, qui post dilationem datam cavent, elapso tempore debitum solutum iri, quàm iis, qui ante dilationem concessam intervenerunt, non quidem directò & principaliter, verum in directè & per consequentiã, quia in jure nostro fidejussoribus datum est beneficium excussionis, secundum quod conveniri non possunt, quamdiu reus principalis est solvendo, vel in toto vel ex parte *Auth. presente ibique Scharf & DD. C. de Fidejuss. Nov. 4. c. 1. Auth. hoc si C. de pign. qui ante usque ad sacculum & peram (quod di-*



dicitur) excutiend<sup>9</sup>, qm. fidejussor conveniri possit. *Hering. de fidej. c. 22.* idque non absque ratione, ne fidejussor, qui gratis intercessit, suæ benevolentiaë & humanitatis damnū ferat, prius actionum molestias perferentiscere cogatur, quam principalis debitor, cui officium exhibuit, *Gail. 2. obs. 27. n. 1. Guid. Pap. decis. 94. & 57.* Nec aliter se videntur obligasse, quam si principalis excussus solvendo non sit *d. Auth. Prasente C. de fidej. §. fin. j. de replicat.* Quemadmodum hanc sententiam pluribus ex rationibus defendunt *Matth. Steph. 2. de jurisd. p. 1. c. 7. n. 394. Surd. decis. 301. n. 16. Hering. de fidej. Bacchov. 2. Tr. 24. 4. §. Quinquennalis.* Consultum autem est, ut debitor in precibus pro extrahendo rescripto moratorio nominatim & fidejussorum curam habeat, daß die begnadigung auch seinen Bürgen zu nuz und statten kommen möge/ ut qua cautela perplexis disputationibus causa præripitur, cum ea sit communis *DD. sententia quod clausula illa ommissa Rescripta moratoria principali debitori concessa, ne utique profint ejus fidejussoribus, vid. Besold. in Thes pract. verb. Quinquennall. oder aufstauds-brieffe | ibi dilatio concessa principali &c.*

§. 15.

**N**ON autem 1. proficit moratoria præscriptio fidejussori-<sup>Exceptiones</sup>  
bus, qui expresse renunciaverunt beneficio excussio-  
nis, *Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 1. n. 18. in fin. & c. 10. n. 337.*  
nec juvatur 2. fidejussor moratorio rescripto, quoties ut  
principalis als ein selbst schuldner obligatus est *Coler. d. c. 10. n. 263. & seq. Gail. 2. obs. 28. n. 6. Zanger de except. p. 2. c. 16. n. 15. Fachin. 8. contrav. c. 54. Wesenb. cons 10. p. 1. n. 18.* Neque 3. dilatio moratoria universaliter & indistincte adversus omnes expresse data fidejussoribus prodest, siquidem tum rei nihil interest fidejussores exigi, quia tem-



pore induciarum & contra hos agentes actione mandati tutus foret, *Asin. de Execut. §. 6. n. 70. Trentacinq. 3. resol. 1. n. 25. Hillig. 22. Donell. Enucl. 9. & 10.*

§. 16.

Cautio requiritur.

**C**irca effectum autem notandum, quod universa Rescripta, quæ in debitorum causis super præstandis dilationibus promulgantur, non aliter valeant, nisi fidejussio idonea super debiti solutione præbeatur. *p. l. universa 4. C. de prec. imp. offer.* quod accipiendum est, ubi non sunt fidejussores idonei, ut tum cavendum sit, post elapsam debitum solutum iri. *Bacchov 2. ad. Treutl. 24. 4. lit. E. verb. Quinquennalis.* Ne fortasse bona, quæ adhuc habent, dilationis intervallo absument & aufugiant. *Trentacinq. 3. var. resol. tit. de solut. resol. 1. n. 6. Wehner obs. præct. verb. anstands-brieffe, Ant. Fab. 1. C. 9. def. 60 & alii ibi citati,* quando enim in actu aliquo suspicio subest, regulariter postulatur cautio *Decian. Respons. 17. n. 42. vol. 2.* Eamque fidejussorem nec Principem remittere posse, certum est, nisi expressa addita clausula. *Non obstante, quod vulgo traditur à DD. in d. l. 4. C. de prec. Imp. off. Carol. de Pass. de except.* Quippe rescripta & beneficia Principum solent se accommodare ad regulas & concessionem juris communis. *Consil. Marp. 19. n. 15. vol. 3.* quo jure, cum debitor datur dilatio, competens cautela exigere solet, *l. si debitori 21. ff. de jud.* facit, quod secus Rescriptum fieri possit captiosum creditori, contra *l. Paulus 8. ff. de præst. stip.* debitor scilicet dilationis tempore bona, quæ supersunt, dilapidante. Illa verò cautio non venit præstanda Principi danti dilationem, sed creditoribus, & hoc non nisi postulantis. *DD. ad. d. l. 4. C. de prec. imp. off. Gail. de oblig. 46. n. 14.* Quamvis enim ad valetudinem actus lex requirat fidejussorem



cnem seu cautionem, ejus omissione tamen actus non vi-  
 tiatur, nisi aperte, cujus interest, petita fuerit, *pe 1069. §.*  
*fratre 3. ff. de leg. 11. d. l. 2. ibique Castrens. Ias. & in d. l. 4.*  
*C. de prec. imp. offer.*

§. 17.

**H**inc quæritur, si ea debitoris sit conditio, ut nemo pro  
 eo intervenire velit, an juratoriae cautioni standum?  
 Resp. quod etsi *d. l. 4. C. de prec. imp. off.* diserte requiratur  
 fidejussio, quoties tamen fidejussores dandi potestas nulla  
 est, attendenda vulgaris regula: Deficientibus reliquarum  
 satisfactionum generibus, juratoria cautio admittenda est,  
*arg. Nov. 112. c. 2. N. 1; 4. c. 9. Auth. Generaliter C. de E-*  
*pisc. & cler. §. sed hodie 2. Inst. de satisd. Pruckm consil. 45. n.*  
*79 vol. 1.* Idque æquitati convenit, ne scil. rescripta fiant  
 elusoria, *Carol. de Grass. de except. c. 3.* Quia etiam ho-  
 die pro fidejussoria cautione simpliciter admitti juratoriam  
 author est *Rebuff. tr. de dilat. p. 1. n. 50.* Nam & *ord. Polit.*  
*de anno 1548. tit. von verdorbenen Rauffleuten* nulla  
 fidejussorum fit mentio. *Zang. de exc. p. 2. c. 12. n. 4.*  
 & quovis casu sufficere juratoriam cautionem tradunt.  
*Pragmatici Gallia referente A. Fab. 1. C. 9. def. 2. n. 4.*  
 quod tamen intelligendum, si persona debitoris integræ  
 æstimationis, nec de fuga aut periculo suspectus. *Gail. 2.*  
*obs. 147. n. 42. obs. 47. 11. obs. 48. n. 33. A. Fab. d. l. n. 4.*  
*Gail. de sequestr. c. 3. n. 2. alii aliter, ut refert Hillig. 22.*  
*Donell. enucl. 9. tit. 11.*

An cautio  
 juratoria lo-  
 cum habeat,

§. 18.

**P**ræstita itaque cautione, debitor tempore induciarum  
 nec excuti, sive in sorte seu usuris, nec arrestari, nec car-  
 cerari, nec ulla alia magistratus executione peti potest, imò  
 defacto in carcerem coniectus relaxari, pignori que capta

Emolumentum 1.  
 Suspendit omnem executionem,



bona ante omnia restitui debent, & quaecunque adversus Rescriptum attentantur, protinus irrita fiunt. Emolumenta enim & fructus Rescripti moratorii sunt, ut per concessum tempus securi debitores ab executione tam sortis quam usurarum. *arg. l. non solum 8. §. 1. ff. de lib. leg. DD. in l. 2. C. de prec. imp. offer. ubi Salic. n. 3. A. Fab. 1. C. 9. def. 8. Hillig. 22. Donell. enucl. 9. lit. N. Bacchov. 2. ad Tr. 24. lit. E. in fin.* Nec custodia emancipari, aut arresto detineri jure possunt; Sie können nicht arrestirt/verkauft/oder angehalten werden. Plane si ob importunitatem creditorum ab iniquo judice horum quicquam fiat, forsandebitore in carcerem coniecto, bonis arrestatis, pignorative captis, omnia irrita sunt, & tum ipse, tum bona ejus protinus & sine mora restituendi sunt, ne sub specie indulgentiae insanabilis debitori creetur molestia, *A. Fab. loc. cit. def. 2. n. 14. Surd. decis. 301.*

§. 19.

An & usurae interim currant.

**A**N autem usurarum exactio ita suspendatur, ut & interim medio tempore nullae debeantur, quaeritur? Et verior est sententia existimantium, exactioem usurarum differri, cursum autem nequaquam impediri, ita enim dantur induciae moratoriae, ut semper salva sit pristina obligatio, nec apparet, quomodo creditoribus injuria fiat, si iis jus, praesertim stipulatione super usuris quaesitum non auferatur, siquidem dilationis ea natura est, differre actiones, non auferre sortis aut usurarum debitum; *Bacchov. 2. ad Tr. 24. 4. lit. E. in fin. Hillig. 22. Donell. enucl. 9. l. N.* Non tamen impediuntur creditores via compensationis, durante dilationis intervallo, suum consequi. *A. Fab. 1. C. 9. def. 13.*

§. 20.



**A**lterum verò emolumentum Rescripti moratorii est, Emolumentum 2.  
Meditatio de  
Solutione. quod creditores suos interim exigere debitor possit, ideo enim ipsi conceduntur hæc dilationes, ut intratempora definita meditari de solutione possit, quod sine effectu esset, nisi ipsi integrum sit, nomina sua exigere. *A. Fab. l. C. 9. def. 19. Coler. d. Proc. Execut. p. 1. c. 4. n. 14. Nec obstat tit. ff. quod quisque jur. in alt. &c.* Das Recht das einer vor sich braucht / muss er auch wider sich leiden / tum quia regula ista non habet locum inter personas diversæ conditionis, veluti privilegiatum & non privilegiatum, ita studiosus civem coram Rectore potest convenire, civis verò non vicissim studiosum coram suo magistratu oppidano. *vid. Hillig. 17. Donell. enucl. 20. lit. e.* tum quod diversitas sit in fine, quia ob hunc finem concessæ censentur induciæ, ut alios excutere liceat.

§. 21.

**E**x parte creditoris vero Rescriptum moratorium utile Effectus ra-  
tione credi-  
toris est 1. quod servet jus creditoris salvum, impediendo currere præscriptionem actionis, nam quemadmodum privilegia & omnia beneficia, ita & quinquennales induciæ concedantur, ut profint uni, scil. debitori, nec tamen alteri scil. creditori iniqua conditio inferatur & noceatur, sed jus ipsi semper salvum maneat, neque enim magnum præjudicium vertitur in modico tempore, *arg. l. si debitori 21. ff. de jud. l. si in 24 §. 4. ff. locat. cond.* Verum cum facile evenire potuisset, ut induciarum intervallo debitor præscribat actionem adversus creditores, jura prospexerunt, ne hac ratione creditori jus suum auferatur, sed ut interea temporis præscriptio quiescat *l. f. inf. C. qui bon. ced. poss. ibi: nullo præjudicio creditorum cuiquam ex quinquennali dilati-*



dilatione circa temporalem prescriptionem generando: ibique Bald. Salicet & DD. in l. 2. C. de prec. imp. off. Trentacinq. 3. Var. resol. tit. de solut. res. 1. n. 28. cum & alias agere non volenti, non currat prescriptione. l. 1. in fin. C. de ann. exc. l. 1. §. dies. 7. quand. & intr. q. temp. appell. Myns. 7. decad. resp. 69, n. 27. & de cad. 10. resp. 110. n. 5.

§. 22.

Alter effectus **S**ecundus ex parte creditoris effectus Rescripti moratorii est, quod debitor in futurum bonis cedere non possit, arg. l. fin. pr. C. qui bon. ced. poss. ibique DD. sufficit enim semel dedisse beneficium, neque rationis est, duplici onere gravare creditores, Zas. in l. fin. vers. tertius ff. de cess. bon. Wehner obj. pract. Verb. anstandsbrieffe / Myns. in §. f. j. de act. Trentac. 3. resol. tit. de solut. resol. 1. n. 30. aliter A. Fab. 1. C. 9. def. 21. n. 11.

§. 23.

Opposita, **R**escriptorum verò, fraudibus, & per sub vel obreptionem extractorum nullæ sunt vires. Ord. Polit. de anno 1577. tit. 23. §. ff. in fin. ibi: wann aber Sard. decis. 307. n. 17. Nec præterea obest Rescriptum moratoriū, quominus intra dilationis tempora, debitore ad meliorem fortunam proveniente, creditores eum exigere possint, veluti si quinquennio concessio, post biennium debitor opulentam hæreditatem nactus sit, ut nunc solvere possit, non cogentur creditores, expectare quinquennii exitum, sed statim excutere poterunt debitorem, cum immunitas ob paupertatem concessa, ea cessante, etiam cesset. arg. l. cura 4. §. 1. ff. de mun. & hon. l. 10. §. 3. ff. de vacat. mun. Hillig. 22. Et hæc pro ratione instituti de moratoriis dicta sufficiant, F. O. M. gratiarum actione pro virili persoluta, B. L. obnixè rogitō, ut conatibus favere pergat.

F I N I S.

Nobilis-



Nobilissimi DN. CANDIDATI, juris, tum in theoria, tum  
in praxi, peritissimi, novis honoribus paucis  
hisse gratulabundus applaudere  
voluit.

J. L. CROLLIUS. SS. Th. D. & Prof. Ord.

<p>FROHNI! tuæ surgens novum de- cus domûs, Jam litibus mora Vacas culpabilis, In publico tuæ paratus solvere Promissa mentis eruditæ debita. Non de morâ ulla lis tibi movebi- tur, Quando solutionis haud facis morâ Sed expedire suscipis, quod gloria Tibi est. Proinde literis nō indiges</p>	<p>Moram petentibus. Tuum feliciter Expunge nomen! &amp; nihil morabi- tur Votum tuum: Novi obtinebis No- minis Augmen, quod in foro thoroque nomina Ut det, precor, procul morarum tæ- dio.</p>
--	--

AD Clarissimum atque pereximium Dn. Candidatum, Vierram  
ad Fl. causarum Patronum celeberrimum, olim Domesti-  
cum, nunc Hospitem suum charissimum

JOH. HENRIC. REZNSCHMIDT  
J. U. D. & Prof. Ord.

Sedula sicut apis passim grassatur in hortis,  
Inque futuram hiemem dulcia mella legit.  
Haud aliter FROHNI multis autoribus errans,  
Legisti flores deliciasque TIBI.  
Prima fuit TIBI cura DEUM cognoscere, & illum,  
Quem misit Christum, quæ TIBI certa salus.  
Altera cura fuit leges addicere & artes:  
Tertia Praxis erat, Juris & æqui anima.  
Tempus adest, publicè quo Te virtutibus auctum  
Ostendas, Patriæ restituasque decus.  
Macte animi, in Domini confisus nomine perge,  
Coelum & terra TIBI militet, & valeas.

D

Hono-



*Honoribus Nobilissimi DN. CANDIDATI*  
*scribebat.*

DANIEL NEBEL, Med. D. & Prof. h. t. Decanus.

**Q**uem decorat pietas, bona mens & candida virtus,  
Collaudat præsens ingenii Specimen,  
Quod facit ut viridem laurum nunc nectat Apollo,  
Tempore doctorum qua redimire solet.  
Gratulor hos studiifruetus, quos carpis, Amice,  
Te DEUS omnigena prosperitate beet!

---

*Clarissimo DN. DOCTORANDO, Contubernali olim, Amico*  
*semper suavissimo.*

*Celeusmate autoschediasticò applaudebat*

JOH. GEORG. BRUNN. S.S. Th. Doct. & Phil. Prof. P.

**F**RON prisci sanctum dixerunt: Tu quoque Amice  
FROHN gentilitio nomine ritè clues.

Qui sapit, hunc *ἄγχιον* Græci dixêre, referre  
FROM etiam huc poteris: Sanctus enim pius est.

*TV rectè vives, si cures esse, quod audis:*

*Nimirum sapiens, sanctus & usque pius!*

---

*Nobilissimo & Consultissimo Dn. Candidato, multos jam annos causas*  
*agenti, cum is meritis in theoria & praxi lauream*  
*capesseret, accinit*

MAXIMILIANUS PERCELLI, Historiarum  
& Eloquentiæ Professor Ordinarius.

**M**ulti multa sciunt sanctâ quæ lege caventur,  
Hi nequeunt eadem promere, quando juvat.

At tu jam multos, doctissime, ritè per annos  
Praxi, lex nolit quid jubeat vé, doces.

Illa potest doctor, doctus præstare sed ista;

Ergo Doctor eris doctus, ut acta probant,

